

**05  
A  
1154**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-637812-p0002-9

DFG

05

Q. D. B. V.  
XXX QVÆSTIONES  
*EX*  
**PRACTICA**  
**PHILOSOPHIA**  
**COLLECTÆ**  
Quas  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI*  
*PRÆCLARISSIMI AC PRÆEXIMII,*  
**DN.M.JOHANNIS MICHAE.**  
**LIS SCHAUSSSENG,**  
AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOSOPHICÆ AD-  
JUNCTI MERITISSIMI,  
PRÆCEPTORIS, FAUTORIS, ET AMICI SUI  
ÆTATEM COLENDI  
*Coram Eruditis Publicè pro virili  
defendet*

**HENRICUS BEZNIKADI**

D R E S D :

A. & R.

*In Auditorio Majori ad diem 29. Junii  
Anno O. R. M. DC. LXI.*

\*\*\*\*\*  
WITTEBIRGÆ , TYPIS MATTHÆI  
HENCKELIL

66

b. 28

МАСО  
XXX

ПРИЧАЩЕНИЕ

1900 год



05.4.1994



JOVA JUVA !

Præfatiuncula.

**N**olo in præsentiarum longâ contrariorum argumentorum serie in dubium vocare, quamam utilitatem Philosophia Practica studio Iuris afferat. Sive enim Ethicam, sive Politicam, sive denique Economicam species, omnibus hisce peculiare commodum ad Jurisprudentiam addiscendam non denerit; Quæ omnia hic exactè annotare non fert animus, ne in Præfatione sim prolixior & accuratior, in reliquis brevior & negligentior. Hoc interim Epiphonematis instar dico; illum, qui necessitatem Philosophiae Practicæ ad Juris scientiam derogat, non aliud absurdum committere, ac si lucem soli deneget. Adeo igitur, quorum gratia hæc prælocutus sum, me accingo, supremum Numen devotè orans, ut præsens discursus cedat ex voto ET FELICITER.

EX ETHICIS

QVÆSTIO I.

*An mores sequantur temperamentum?*

Ita sensit olim Galenus, & hodiè vestigia ejus legentes, moti inter alias rationes experientiâ, quâ ad amorem sanguineos, ad iram Cholericos, ad metum Phlegmaticos, ad tristitiam denique Melancholicos admodum videmus propensos: Adde, quod pro diversitate Climatum etiam diverorum humorum reperiantur incolæ; Ita ob caloris interni abundantiam Europæi cluent audaces; Africani ob ejusdem

A 2

defe-

fectum formidolosi; Asiatici vero ab calorem temperatum  
inter utrumque medium tenentes. Verum enim vero to-  
tam hanc sententiam negare, & contrarium simpliciter de-  
fendere velle, utrumque non satis tutum est. Medium igitur  
viam eligere praestat, & Limitationibus quibusdam par-  
tim contrahere, partim contra objectiones, quas apud Pico.  
gr. i. Philos. Moral. cap. 28. videre licet, nos premunire an-  
nitamur. Hinc I. dicimus, sententiam hanc admittendam  
esse, si de propensitate & facilitate ad mores intelligatur: ne-  
gandam vero si de subsecutione necessaria concludatur. II.  
Disting: esse inter tò sequi ut causam principalem, adæ-  
quatam, proximam & sufficientem; & ut minus principa-  
lem, inadæquatam, remotam & insufficientem. Posteriori  
modo concedimus temperamentum ad mores referri posse,  
priori omnino negamus. Et proh! quorū errores inde alias  
propullularent? Sequeretur enim frustra bonos præmiis al-  
lici, frustra facinorosos pœnis terreri. Naturam esse ob pra-  
vos mores improbandam, non homines: Omnem rectam  
institutionem inanem, & vel optimam educationem esse su-  
pervacaneam; imò omne tolli liberum arbitrium: Quæ  
quam absoluē falsa, humanæque conditioni contraria sint,  
quemvis non latet. Tantum proinde abest sine prædictis.  
Limitationibus hanc opinionem veram esse, ut potius iis re-  
motis ceu falsissima rejicienda sit. Cæterum eadem caute-  
lia est accipienda illorum sententia qui astrorum influxum  
mores hominum sequi asseverant. Pico gr. 2. Philos. Moral.  
cap. 35.

## QVÆST. II.

*Utrum magis ab excessu quam defectu in virtute com-  
paranda sit abstinentium?*

A Defectu plus cavendum esse nonnulli sibi persua-  
dent. Ita enim videtur: quia Audacia, ut excessus, magis ad  
fortitudinem, quam timiditas; prodigalitas & luxus plus ad  
liberalitatem & magnificentiam accedit, quam avaritia &  
sordities. Cùm igitur Ethici præcipere soleant, in eam par-  
tem, virtuti similiorem se deflectere, Excessum defectui re-  
sponde

etè quidam præferre videntur. Contra eodem argumento  
alii probare conantur diversum. Mansuetudini enim magis  
aversari iracundiam, quam lenitatem; & Temperantia magis  
Intemperantium, quam Defectum contrariari, quis insi-  
ciari vellet? Ita pro utrâque parte rationes militant. Nihil,  
itaque distinctè statui posse rectè autumat Magir. comment.  
in Arist. Eth. l. 2. c. 9. & cum eo Donalds: Synopsi Philos. Mor.  
p. 72. In quibusdam enim defectus virtuti est similior, & pro-  
pterea ab excessu magis virtuoso temperatum: in aliis  
verò excessus ad virtutis naturam proprius accedit. Seriò ta-  
men prospiciendum est, ne, dum unum extremum vitamus,  
in alterum incidamus, quod interdum imperitis & incautis  
hominibus accidere solet; Ut: si quis nimis vitare velit timi-  
tatem vel prodigalitatem, contra sensim audaciæ vel ava-  
ritiæ assuescat. Magir. alleg. loco. Heid: System. Phil. Mor.  
pag. 283.

### QVÆST. III.

*An affectus ex naturâ tollendi?*

Cum Stoicis affectus qui extirpare cupit, naturam si-  
mul ut tollat necesse est. Naturales enim sunt homini, ipsi-  
que à Deo insiti. Quod igitur à Deo insitum est, id neque ma-  
lum, neque eradicandum. Hoc potius asserimus, rectæ ra-  
tionis judicio eos medium excedentes refrenandos, & ad ju-  
stam mediocritatem reducendos esse. Heid. syst. Eth. pag.  
386. & seqq.

### QVÆST. IV.

*An affectus moderationem admittant?*

Ratio dubitationis est, quòd modo affectus natura-  
les diximus. Cùm igitur naturalia immutabilia esse vulgo  
dicatur, affectus non moderari posse, jure quis dubitare pos-  
sit. At enim dum affectus naturales nos statuimus, id faci-  
mus, ratione originis seu radicem eorundem, non ratione  
moderationis, quo modo non naturales sed acquisiti au-  
diunt. Unde nil obstat, cur eos temperari posse negan-  
dum sit.

## QVÆST. V.

*An aliquis semet ipsum possit odio habere?*

Omnibus conservatio sui implantata est; non destrucción: neque quisquam malum quā malum appetit; sed si quandoque malum bono præfert, hoc tanquam Φαῦλος bonum eligit. Odio igitur se habere nequit, quicquid in contrariam partem proferatur. Distinguo tamen i. Inter odium per se, & per accidens. 2. Inter bonum verum, & apparens. 3. Inter accidens sui, & semet ipsum. Non enim sequitur: hic odit morbum sui corporis, ergo & senet ipsum. Liebenthal. Coll. Eth. Disp. 6. Quæst. 10.

## QVÆST. VI.

*An leges humanæ hominum obligent conscientias?*

*Lib. 3. In-*

*stit. c. 19.*

*sect. 15. 16.*

*lib. 4. c. 30.*

*sect. 3. 4.*

*& 5.*

Adversarii partes in his nobis agit Calvinus, asserens; leges humanas forum externum, non internum respicere debere; Cūm i. Magistratui de conscientiis hominum judicare neutiquam conveniat. 2. Per id libertas Christiana tollatur & 3. Conscientia soli Deo subjecta sit, non hominibus. Athā objectiones plus in accessu, quam recessu habent, si accuratius considerantur. Quod enim i. argumentum concerit, nos toti concedimus, Magistratui non competere iudicium de conscientiis hominum. At non id circō feret leges easdem obligantes, judiciamque, de conscientiis DEO καρδιογνώσκ committet? Nullus sanè contextus exinde patet. Ad 2. respondemus, negando libertatem Christianam istis tolli. In N. T. enim absoluti nos sumus à legibus ceremonialibus V. T. non autem à legibus civilibus. Et si posterius non verum est, priùs contrarium probandum erit. Ad 3. repetimus responcionem ad superius datam, negando scil. consequentiam ejusdem. Absit autem ut omnibus indistincte legibus humanis conscientias obligari astruamus. Duplices enim sunt leges, aliæ justæ de rebus licitis; aliæ injustæ de rebus illicitis. His soluta, illis obligata est nostra conscientia. Adde quod etiam discrimin habendum sit inter per-

personas potestatem ferendi leges habentes , & non ha-  
bentes.

QVÆST. VII.

*An ea, quæ ex iracundia fiunt, veniam me-  
reantur?*

Nullus sanè affectus impetuosior est irâ. Hæc enim (verba sunt Lactantii de Irâ DEI Lib. I. c. 5.) cùm in animum cuiusdam incidit, velut sœva tempestas tantos excitat fluctus, ut statum mentis penitus fermè immutet. Tum oculi ardescunt, os tremit, lingua titubat, dentes concrepant, alternisque coloribus facies obducitur, nunc suffuso rubore, nunc pallore albescente. Hinc non raro fit, ut ex iracundiæ calore aliquid delinquentes iracundiæ vehementiam prætexant, qua invitox ad facinus impulsos fuisse conque-  
runtur, & exinde impunitatem sperant. Sed frustra, nec ex merito. Invitos enim fecisse dicendum non est, cùm propriè illud dicatur invitum, cuius principium est extra agen-  
tem. At hic principium irascendi, vel non, est intra homi-  
nem, non extra. Ergo invita actio nominanda non venit, sed potius spontanea. Plus igitur vice simplici culpandus  
est talis iracundus, tum quod immoderatum istum affectum frenare neglexerit, tum quod delictum tale commiserit. Et si hæc excusatio locum haberet in judiciis, proh! quam ampla fenestra homicidiis aperiretur, cùm raro homicidi-  
um committatur nisi præcedente irâ. Aliud itaque non tam suader, quam urget Reipubl. salus, ne maleficia impunita ma-  
neant. Id tamen discriminis adhibendum in judicando  
censeo: Num scil. hanc iracundiam justus quidam dolor, vel  
atrox injuria expresserit, numve aliqua levissima causa; &  
ita naturæ vitio deliquerit? Priori causa motus mitiorem  
pœnam meretur, & excusationem in quantum, non tamen  
in tantum. Posteriori vero ordinariâ pœna afficiendus est.  
Plura si cupis adi & audi Excellent. Dominum D. Wendeler.  
Philos. Pract. pag. 314. Liebenthal. Coll. Est. Exercit. II. quæ-  
stion. 6.

QVÆ-

Sed non solum in se ipsum possit esse injurius? **QVÆST. VIII.**

*An aliquis in se ipsum possit esse injurius?*

Prolixè hujus quæstionis negativam ex Aristot. defendit Magist. in Comment. ad Aristot. Nicom. I. 5. c. II. contra Platonem & contra aliorum objectiones. Nos brevitatis ergò omissis istis oppositionibus, quas passim invenire licet, statuimus; Neminem in se ipsum posse injurium esse i. quia duo contraria non possunt esse simul in uno Subiecto. At injuria afficere & injuriam pati sunt talia E. 2. Qui injuriam facit, is alteri debitum aufert, idque vel sibi vel alteri tribuit. Si igitur in se ipsum esset quis injustus, tum sibi ipsi id eriperet simulque tribueret. At hoc absurdum est. Nemo enim sibi ipsi furari potest, cum propriâ uxore adulterium committere, aut se ipsum decipere. Ergò & prius erit falsum. At dicat quis cum Platone: Neminem posse alium injuriā afficere, nisi sibi ipsi prius sit injurius. Hoc autem fit, cum appetitus contra rationem insultant, imperiumq; quod ratio in eos habebat, detrectant, & ita imperanti suo non levem inferunt injuriam. Hinc oritur Injustitia; Cum alias si dicto rationis audientes fuissent, non nisi quod justum fecissent. Et hoc est, unde Plato colligere vult, etiam in seipsum aliquē posse injurium esse. At non nisi impropria & per *μεταφορὰν* hæc interna Injustitia nominanda est, non propria. Neque hanc injuriam totus homo erga totum semetipsum committit, sed saltem est discordia internalium partium, quæ irrationales, animæ rationalis imperium denegant, quod sæpè contingit. At exinde nondum probatum est, quod probandum. Propriè autem Injustitiam dicimus illam, quæ erga aliū exerceatur, quemadmodum justitia non nisi erga alterum administratur. Cæterum ut fiat sententia nostræ clarior, I. ut jam dictum, distinguimus inter Justitiam Externam, & Propriam; & Internam vel Metaphoricam. De priori, non posteriori est hujus loci quæstio. 2. Inter injuriam; & læsionem sui ipsius, seu damnum. Hoc citra præjudicium nostræ sententiaz concedimus, illud negamus. 3. Vel con-

considerandus est à utrōχeis ut privatus; vel ut civis: Posteriori modo non sib ipsi, sed Reipubl. injuriā facit, à quā etiam pro variis regionum consuetudinibus punitur. Priori modo neque sibi ipsi injuriā infert, sed dāmnum saltem. Non autem sequitur: Qui seipsum lādit, injuriā etiam afficit. Quod etiam probat Excell. Dn. D. Wendler: Philos. Pract. pag. 399. & seqq. usque ad pag. 405.

## QVÆST. IX.

*An ius naturale sit immutabile?*

Noli mirari, quod inveniantur nonnulli, immutabilitatem naturæ denegantes, cùm non defint illud totum impugnantes. Ita enim argumentantur: Quæ naturalia sunt, ea quoque immutabilia; At nulla sunt jura immutabilia. E>nulla sunt jura naturalia. Sed quām parum, imò nihil hoc argumentum contra nos valeat, ex suppositis distinctionibus patebit. Cæterum qui jura naturalia mutabilia dicunt, plurima exempla afferunt; quæ in medium studio brevitatis proferre, non fert animus. Lector autem eorum cupidus, ad eat Heid. System. Phil. Moral. p. 888. Excell. Dn. D. Wendler. Philos. Pract. pag. 394. Magir. in Comment. ad Aristot. Ethicam l. 5. c. 7. & alios. Nos impræsentiarum mentem nostram explicando, distinguimus 1. inter naturalia Jura considerata in sese & simpliciter, & respectu hominum. Priori modo Juri naturali mutabilitatem denegamus, altero modo non raro contingere concedimus. 2. Inter immutabilitatem Juris naturalis quoad præcepta communia, & quoad eorumdem applicationem. Illa semper comitatur Jus naturale: hæc nonnunquam ratione circumstantiarum variat. 3. Inter mutationem veram & apparentem. Hæc Juris naturalis applicationibus frequens; non tamen Juri naturali ipsi. At illa nunquam. Id tamen novissimè observari velim, apud JCtos, Jus naturæ latius sumi, quām apud Ethicos. Hi enim brutis denegant, illi attribuunt. B. D. Jacob. Mart. Synops. Eth. pag. 415.

B

QVÆ-

## QVÆST. X.

*An vera amicitia conjunctioni sanguinis  
sit præferenda?*

Non desunt exempla, quæ sæpenuinerò veros amicos consanguineis imò vitæ propriæ præpositos fuisse probant. At num hoc jure factum, dubium meretur. Ratio potissimum desumi potest exinde, quia Jus sanguinis nullo alio Jure dirimi potest, neque ullâ lege effici, ut qui Pater vel Frater est, Pater vel Frater esse desinat. Magis itaque præferendi videntur consanguinei, qui arctiori vinculo nobis conjuncti sunt, quàm amici, quos fallax quandoque virtutis *Caroqueror*, quod in iis deprehendimus, nobis conciliat. Pro compонendâ hâc controversiâ, tria hîc præsupponimus. Aut enim 1. consanguinei nobis sunt amici, & præferendi sunt amicis tantùm. Aut 2. sunt nobis non amici, & eo casu præponendi sunt amici candidi, non tamen quoad officia naturam, vitæ corporisque conservationem spectantia. Consanguineis enim semper arctius conjuncti sumus ob Jus naturæ & sanguinis. Vel 3. Consanguinei nobis sunt non amici. Et tum amicis postponendi Jure sanguinis jucti, attamen quoad officia & beneficia, civilemque conversationem concernentia.

## EX POLITICIS

### QVÆST. I.

*Utrum Politica à jure Publico differat?*

Ultrò id largimur, magnam esse affinitatem inter Politicam & Jus publicum, non secus ac magnâ cognatione Physica & Medicina invicem tangunt. Exinde autem sequi, nullam differentiam inter eas esse, cave ne statuas. Differunt enim præprimis in hoc, quòd Politica generaliora præcepta tradit, quæ deinde in Jure Publico Specialiter & Particulariter proponuntur ac explicantur. Illa certo jure certisque legibus definita non est, sed ex diversis Politicis authoribus congesta: Hoc verò certis legibus ac statutis Principum confirmatum & traditum, ac consistit imprimis in Aurea Bulla, Recessibus Imperii, Imperatoriisque Capitula-

tulationibus. Cùm autem quandoque confunditur, parum subtiliter & de facto fieri ex superioribus elucescit. Confer Excell. Dn. D. Wendler. Phil. Pract. pag. 199. Wurms: Exercit. J. P. t. quæst. I.

QVÆST. II.

*Num fœminæ prudentiæ Politicæ sint  
capaces?*

Licet in multis juris articulis fœminæ deterioris conditionis sint, quam mares, quod passim videre licet; non tamen ab exercitio Virtutum tum moralium tum Politicarum excludendæ sunt. De Prioribus hîc non quæro, neque hûc spectat agere (licet experientia evincat piissimis, castissimis, temperantissimis & prudentissimis fœminis nulla fermè secula caruisse) sed de Posterioribus. Verum enim verò licet earum Prudentia Politica cum masculâ in eodem gradu non sit, sed in aliquantulum remissiori, tum ob imperfectorum humorum abundantiam, tum ob sensuum ruditatem, corporis mollitiem, animique inconstantiam: Ideò tamen ejusdem prorsus incapaces dicendæ non sunt, cùm præsertim admirandæ prudentiæ fœminas extitisse passim exempla probent. Sicco autem pede prætereo Semiramidem, Penthasileam, Artemisiam, Irenem Constantinopolitanam, Margaretam Danicam, aliasque plurimas; & unica instar omnium mihi exemplo erit Elisabetha Angliæ Regina. Hæc enim XLIV. años tanta dexteritate & prudentia regnavit, ut subditi illam amaverint, seu matrem benignissimam, vicini Principes coluerint ut Reginam sapientissimam, hostes metuerint ut ultricem justissimam, & totus Christianus orbis cum admiratione suspexerit tit pacis & tranquillitatis publicæ conservatricem. Subditos non tantum indictionibus non ursit, sed etiam tributa, quæ tertio quoq; anno exigi consueverant, sustulit. Imò cùm Regni ordines aliquando magnam pecuniæ summam pro sumtibus Reipubl. necessariis offerrent, illa magnam partem recusavit, ac populo gratias egit, dictitans: Pecuniam in subditorum articulis esse perindè ac in suis. Ettanta floruit prudentiâ hæc Illustris-

Lansius  
Orat. pro  
Britan-  
niâ. p. 614.  
& seqq.

simus Fœmina non tantum pacis tempore in regenda hæc axiliæ maximè instabili Republ. sed belli tempore in eadem conservanda. Cum enim anno superioris seculi 88. Philippus II. Rex Hispaniæ tam stupendam classem triennio terè elaboratam contra Anglos duceret, ut alter quidam orbis navigare videretur (continebat enim, ut ex relatione postmodum cognitum est, classiarios millia 32. & singulis diebus impendebantur ducatorum millia 20.) Elisabetha à Galliarum Regemonita, non ideò despondit animum, sed suspeccatos in remota loca relegando, militem conscribendo, exercitum lustrando, castra obequitando, naves instruendo, fluviorum ripas propugnaculis muniendo, omnia denique Palladis & strenuæ Bellatricis munia obeundo, sibi Anglisque suis diligentissimè prospexit. Hinc, ut rem maximam paucissimis verbis complectar, talem exitum hoc bellum fortitum est, ut brevissimo tempore, hæc admiranda classis partim ab Anglis ita profligata, partim naufragiis conquassata domum redierit cadaveri simillima. In Anglia contra, Festo gratiis agendis ad diem 25. Novemb. indicto, Regina curru triumphali vœta, magnificentissimè per urbem Londonensem triumphavit. Non ergo pœnituit Anglos sub fœminâ bellâsse, eique imperium commisisse, neque, ut opinor, quisquam à prudentiæ Politicæ capacitate fœminas arcebit, evidentissimo exemplo contrarium edocet. Nolo autem exinde argumentari: Fœminæ sunt capaces prudentiæ Politicæ. Ergo iis sunt committendi fasces Imperiorum. Diversæ enim sunt questiones, nec altera alteram includit. Peculiarem igitur explicationem meretur, quam qui desiderat, adeat Heid. Syst. Polit. pag. 343. & seqq. It. p. 808. Lipsium I. 2. Polit. c. 3. §. 3. 4. 5. usque ad finem hujus cap. Schönborn. I. 2. Polit. c. 12.

### QVÆST. III.

*Num Princeps fit solutus legibus?*

Neque omnibus legibus adstrictus, neque omnibus solutus est Princeps. Quodcumque igitur de Principibus dicitur, quod nullis circumscripti legibus vivant, id saltem

(i)dc.

(1) de civilibus legibus, non de divinis & naturalibus.  
2. quoad civiles de vi directiva, non coactiva intelligen-  
dum est. Licet enim Princeps sit Dominus aliorum, DEO  
tamen est subditus, & secundum divina præcepta vivere  
tenetur, quæ si servare neglit, aut temerè violat, humanis  
pœnis utut coërceri nequeat, tutus scil. imperii potestate.  
DEO tamen impunè id non aufert, sed eò graviorem sentit  
vindictam, quò gravius peccavit, & pluribus peccandi occa-  
sionem suis Exemplis præbuit. Similiter de legibus J. Na-  
turalis statuendum; à quibus absolutus non est. Civis enim  
est mundanus, & naturæ obnoxius, neque quoad naturam  
impari cum cæteris hominibus conditione censemur. Quæ  
igitur ex J. Naturali dependent, iis etiam tenetur, & vim  
inferre nequit, nisi divinam ultionem, ut alii improbi Princi-  
pes, incurrire velit. De legibus autem civilibus aliter judi-  
candum est. Vel enim sunt universales, quæ ad totam civi-  
tatem spectant, & ab eâ servari debent: Vel sunt Particula-  
res, certo alicui Ordini vel Numero civium latæ. His solu-  
tus Princeps est omnino: Illis verò adstricetus; non quidem  
directè, sed per reflexionem aut obliquam obligationem,  
quatenus scil. ut pars universitatis consideratur. Et hisce  
satis, ut opinor, explicata erit vulgatissima hæc quæstio: An  
Principes vivant ex leges? cuius in affirmativâ defendendâ  
quidam nimis duri sunt, & Principes omnibus legibus sub-  
jiciunt. Quidā vero in negativâ nimis faciles eos indistinctè  
exeintos faciunt. Quomodo igitur inter hanc Scyllam &  
Charybdim media via tutò sit navigandum, præter supra di-  
cta colligere licet ex Arnis. l. 1. d. Jurib. Majest. c. 3. Tim-  
pler. Polit. l. 5. c. 1. quæst. 1. Heider. System. Phil. Polit.  
pag. 562. & seqq pag. 841. & seqq. Et Wurms. Exercit. 3. J.P.  
quæst. 1.

#### QVÆST. IV.

*Vtrum subditi Magistratui suo per omnia obe-  
dire debeant?*

DEO sine exceptione, Principibus cum exceptione  
B 3 obe-

obediendum est. Locum autem tum demum exceptio habet, quando Princeps merè impia & injusta præcipit, bonique Principis naturam exuit. Tunc enim Deo magis obsequentes simus, quam hominibus, & salvâ conscientia legibus istis, conscientiam nostram non obligantibus, recusare possumus. Confer præterea Timpler. Polit. I. 5. c. 3. quæst. 5. Liebenthal. Coll. Polit. exercit. 15. quæst. 1. An autem subditis liceat Principi resistere, contra eum arma movere, folio deturbare, immò, si necessitas urgeat, vita exuere, si ad impia perpetranda eos cogere velit, nolo sub hac quæstione affirmari. Diversa enim maximè sunt hæc : Magistratui impia præcipienti, non obedire : & vim illi inferre, ferreaque manu resistere. Liebenthal. I. c. Consuli tamen, si lubet, poterit Heider. system. Polit. pag. 963. & seqq. Arnis. de authorit. Princ. inviolab. per totum. Magnif. Dn. D. Ziegler. Regicid. Anglic. Exercit. 3. 4. 7. & 8. Timpl. Polit. I. 5. cap. 3. quæst. 9.

#### QVÆST. V.

*Vtrum in bene constitutâ Republ. peregrinatio concedenda sit?*

In utramque partem acriter de hac materia disceptatur; Et quanquam non negandum sit, multa incommoda peregrinationes afferre, dum peregrinantes quasi patriæ suæ, Parentum, propinquorum, linguæq; vernaculæ contemtores existunt, tempus, utilioribus rebus impendendum, tam inutiliter consumunt, se ipsos variorum periculorum dubiæ aleæ exponunt, loculos paternos miserè ex hauriunt, mores per egrinarum nationum imbibunt, iisq; rem publicā inficiunt: Unde postea luxus vestiarius, indigenæq; linguæ turpis mutatio, inauditi morbi & contagia, immò quandoque hæresis in Rempubl. introducitur, & quæ innumera alia mala indè oriri solita Lansius notat in Consult. de Princiat. inter Provinc. Europ. pag. 18. 19. & seqq. usque ad pag. 28. Hæc, inquam, incommoda, licet peregrinatio secum trahere soleat, suis tamen egregiis commodis non prorsus fraudanda est. Non enim peregrinationem inter causas pruden-

dentia civilis comparandæ numerare veretur Heid. Syst. Phil. Polit. pag. 17. Quam aliàs, si per se res mala esset, absque dubio omisisset, & cavendam esse, seriò monuisset. At sanè multum prodest & juvat peregrinationis limâ asperiusculos mores expoliisse, domesticam rusticitatem extero civilitatis cultusque sale, macerasse, & variarum nationum leges, statuta, consilia, linguam, mores, ingenia, ritus, consuetudines &c. cognovisse Non tantū enim talis exquisiti consiliarii & Legati partes agere, aliaq; publica officia exequi potest: Sed & exinde animū ad varios fortunæ cas° induratū, veræq; prudentiæ cortice obductū sibi acquirit. Schönborn. l.i. Pol. c. 3. Quod igitur de peregrinationis incommodis objicitur, id non intelligendum est, ac si peregrinatio in se mala sit, adeoque nullum usum habeat; sed saltem de abusu, immoderata peregrinatione, ejusque accidentibus audiendum est. Propter abusum autem non statim tollendus est usus, nisi Philosophiam, aliasque egregias disciplinas ob eandem causam tolli velis. Cæterum, quæ ante peregrinationem, in peregrinatione ipsâ, & post eam exactam observanda veniant, consuli velim Timpler. Polit. l. 4. c. 5. quæst. 16. sub fine, plurimum lucis huic quæstioni inferentem.

#### QVÆST. VI.

*An Magistratui liceat veram religionem armata manu defendere?*

Nulla inter omnes causas belligandi justior est, quam religionis defensio. Hinc sacra ejusmodi bella læpius nominantur, & aliis bellis graviora & diuturniora esse solent, uti notat Keckerm. System. Polit. p. 530. Non tam enim opes, vel vita corporalis, sed æterna felicitas, vitaq; animæ periclitatur. Hunc facit quod religio fundamentum, vinculum & propugnaculum Reipubl. dicatur, quâ eversâ, dirupta vel expugnata de ipsâ Republ. quin actum sit indubie sequitur. Nec obstat, quod religio spiritualis res sit, ideoque spiritualibus armis defendenda. Id enim & nos statuimus, ut Religio prius à peritis Theologis defendatur, quod, si non sufficit contra

Hetero-

Heterodoxos, iisque nefariam violentiam adhibere conantur, nonne lacescit vim vi repellere liceat? Sanè non aliud natura, summaque necessitas suadet. At quid si subditi veram religionem rejecerint, licebitne Principi ad recipiendum eos vi cogere? Ne quæstiones confundamus, commendo hic Keckerm. Polit. p. 523. & seqq. Timpl. Polit. l. 4. c. 2. quæst. 3. & 5.

### QVÆST. VII.

*An Consiliarius quoad eventum consilii teneatur?*

Ut bonus eventus belli non semper bonam causam sequitur, sed etiam quandoq; iniquā: Sic quoq; optima consilia interdum pessimū sortiuntur exitum, pessima contra optatissimum. Non igitur ex eventu res judicanda, ut vulgus facere solet, nec ob felicem successum statim consilium malum culpandum est. Fortuna enim humanarum rerum illa præpotens domina, contra rationes nostras consilia non nunquam subvertit, faustoq; successu exuit. Præter meritum igitur Principes consiliarios suos impostores accusant, si consilia data citra spem mala cecidere, non cogitantes consilia dare esse quidem hominis, non autem felicem eventum præstare; quippe hic in DEI, non consultoris manu positus est, secundum istum Versiculum:

*Consilium prudens, occasio commoda, felix  
Exitus, unius sunt tria dona DEI.*

Aliter autem judicandum, si Principi consilium displicuit, & consiliarius obstinatè Ipsi ad id suscipiendum persuasit, seque de felici eventu obligavit. Quō casu excusandus non est. Adde Liebenth. Coll. Polit. Exercit. II. quæst. 7. Lips. I. 3. Pol. c. 8. §. 19. & in notis Braudlacht: Epit. J. P. I. 4. c. 2. §. 17.

### QVÆST. VIII.

*An Princeps inter subditos suos discordiam  
seminare debeat?*

Catonem ferunt inter servos leves dissensiones & suspiciones sparsisse, ut se mutuo timerent, nec aliquid mali moliri

moliri audeant. Parimodo suadent quidam Principi inter subditos semina suspicionum de ipsis invicem spargere, ne, dum discordes sunt, tam facile ad seditiones movendas conspirare possint. Huc refer & illud quod Machiavel. afferit, discordias quae inter plebem & senatum Romanum fuerunt, occasionem dedisse, ut ea Respubl. libera simul & potens facta sit. At sanè concordia suavis est harmonia in societate civili, quam temerè turbare Principi piaculum ferè sit. Contra, quod exemplū Catonis attinet, nihil ad hanc ré confert. Non enim est faciendum malū (quale est seminare inter cives discordiā) ut indē emergat bonum (puta; aversio seditionum.) Pariter nihil valet assertio Machiavelli. Civium enim discordiam commendare tanquam utilem Reipubl. quod hoc modo seditiones evitari possint, non aliter est ac scelera laudare, quod causam bonis legibus præbeant. Negamus præterea quod dissensio civium per se potentem Rempubl. efficiat: sed si quid contingit, id merè fit per accidens. Adde, quod meliora remedia præter hoc dentur ad stabiliendam Rempubl. securitatemque comparandam, quibus potius neglegto hoc operam dandam censemus. Junge his dictis Timpler. l. 5. Pol. c. 3. quæst. ult. Arnif. l. 2. doctrin. Polit. c. 4.

## QVÆST. IX.

*An Christianis bellum gerere  
liceat?*

In hac quæstione tractanda hoc imprimis presupponendum est, non de omni bello nos loqui, sed de eo, quod ex justa causa fuit, & quod omnibus aliis remediis frustatentatis, ad tuendam Rempubl. arcendamque hostium injuriam suscipitur. Hoc Christianis licere haud dubito asserere cum Keckerm. Pol. p. 446. Liebenth. Coll. Polit. Exercit. 14. quæst. 5. & Timpler. Polit. l. 4. c. 10. quæst. 2. Fusiùs contra adversariorum objectiones disputante.

C

QVÆST.

## QVÆST. X.

*An bellum pro alieni populi defensione  
suscipiendum sit?*

Contingit quandoque, ut Respublica, quæ Jure propinquitatis vel fœderis sanctione Principem attingit, extremâ violentiâ opprimatur. Huic igitur succurrere tam christiana charitas & misericordia, quam Justitia & fides in percusso fœdere data requirit. Id tamē cavendū est Principi, subsidium ferenti, ne sub specie & prætextu justæ comiserationis spe privati iucri arma suscipiat, populum miserum miserorem efficiat, ejusque ditionibus inhiet, quod olim Romanos fecisse ingenuè fatetur Cicero l. 3. de Republ. in fragment. ex Non. Noster, inquiens, populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est. Verus enim sic finis intervertitur, à quo christiano Principi recedere nefas sit. At dices: Principi suorum saltēm subditorum, non aliorum curam & defensionem à Deo esse commissam, E. non pro alio ad arma confugiendum. Nos cum Lipsio defensionem aliam constituimus propriam, aliam alienam vel pro sociis, vel pro oppressis. Pro sociis, si in fœdere ita conventum, ut uter lædatur, alter simul læsus censendus sit, quin arma defensoria capessere liccat, non dubito, cùm fides data ad hoc impellat. Pariter oppressis propinquis opitulari commune societatis vinculum jubet. Hinc Cicero l. 1. de Offic. eum, qui non defendit nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam esse in vitio cenſet, quam si Parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat. Plura vide apud Timpler. Pol. l. 4. c. 10. quæſt. 8. Lips. l. 5. Pol. c. 4. §. 6. 7. & 8.

## EX OECONOMICIS.

### QVÆST. I.

*An Oeconomica differat à Politicâ?*

Affirmativa negativâ est verior, quoniam Oeconomica à Politicâ diſtinguitur 1. Subjecto. 2. Fine. 3. Prioritate naturæ, & 4. Multitudine imperantium; quorum in civili ſocietate plures, in doméstica non niſi unus ſpectatur. Non au-

autem nos moveat ab hâc sententiâ recedere, quod domus etiam sit pars civitatis, & per consequens, tractatio domûs pertineat ad tractationem civitatis. Easdem enim res diversô modô considerari posse, non absurdum est. Sic & hic domus dupliciter spectatur, uno modo absolutè, quatenus ex familiâ citra respectum ad civitatem constat: Altero modo quatenus pars est civitatis. Liebenth. Coll. Polit. exercit. I. quæst. 4.

### QVÆST. II.

*Vtrum pater familiâs sit pars familiæ?*

Familia quandoque strictè sumitur, pro cœtu hominum sub patrisfamilias imperio vivente: quandoque latè, pro tali societate ex patrefamilias & ipsi parentibus constante. Priori significatione accipiuntur adversariorum argumenta, quâ nos quoque patremfamilias partem suæ familiæ esse negamus. Posteriori verò affirmamus.

### QVÆST. III.

*Vtrum cælibatus sit preferendus coniugio?*

Longâ serie incommoda conjugii enarrat Arnis. de Jure Connub. c. i. Sect. 3. quibus ex ejusdem aliorumque sententia commoda multis parasangis præferimus. Fundamentum enim familiæ est conjugium, & quo sublato, nulla societas quin diutius constare queat, imò certissimus humani generis interitus brevi futurus sit, haud dubitandum est. Et quanquam non negandum, vitam conjugalem multis molestiis obrutam esse; ideo tamen ejuranda non est, cùm etiam cælibatus malis prematur, si non paucioribus, saltem eò gravioribus, quò propius in detrimentum animæ vergunt. Mala autem, quibus matrimonium repletum esse dicitur, non eidem per se insunt, sed duntaxat per accidens, neque propter incommoda privata commoda

publica negligenda sunt. Porrò, quod mulierum malitiam, & pluralitatem malorum conjugii concernit, utrumque non simpliciter verum est. Non enim quarundam mulierum malitia ad universalitatem restringenda est, neque omnibus jucunditatibus conjugium vacare credendum est. Plura vid.apud Arnis. l. c. & sect. seqq. Ibidem etiam explicantem, quo sensu cælibatus conjugio præferendus sit. Liebenth. exerc. 2. Colleg. Polit. quæst 3.

QVÆST. IV.  
An Conjugia sint fatalia?

Dum Epicuræorum sententiaz renunciāmus, & conjugia à divinâ providentiâ regi statuimus, non causas secundas, & media, ut : preces, prudentem consultationem, consensum legitimum &c. simul exclusa esse volumus. Deus enim sua bona hominibus non nisi per media concedit, quæ si negliguntur, & cœco arbitrio matrimonium quis contrahit, idque malum eventum nanciscitur, non Deo fieri permittenti, sed sibiipsi culpa attribuenda est. Schönb. Lib. I. Bol. c. 6.

QVÆST. V.  
Utrum honesta Matrona mortuo Marito præter læsionem famæ alteri nubere possit?

Tenentur quidam eo errore, ut nuptias secundas seu inhonestas damnent, Viduisque iis abstinere præcipiant, nisi notam ignominiaz sibi inurere velint; quod Romani, aliaque gentes putabant, quæ viduæ maximè dèdecori esse ducebant, si alteri nupsisset, contra (quod exemplum Corneliaz, Valeriaz & Porciæ docet) eas insigni laudum præconio honestabant, quæ perpetuæ viduitati se devovissent. Verum enim verò quanquam non negemus, non infimam laudem eam deportare, quæ amorem mortui conjugis, liberorumque superstitem, quibus facile postea injuria fieri pos-

possit, votis secundis præfert. Non tamen ideo ignominiae notâ illam viduam laborare dicendum est, quæ matrimonium reiterat. Digamia enim hæc per se res mala non est, sed tām sancta & honesta, non aliter ac primum matrimonium. Adde, quod interdum viduæ certis ex causis moveantur alteri nubere, dum quasdam rei familiaris amplitudo, & servorum perfidia, quasdam copia hæredum sine hæreditate relictorum, nonnullas denique liberorum desiderium ad reiterandum conjugium impellit. Citra meritum igitur iniquus censor viduas injuriâ afficit, qui eas ob nuptias secundas statim suspectæ famæ insimulat. Aliter tamen judicandum est de iis, quæ præproperâ festinatione intra luctus annum ad vota secunda ruunt. Id an honestè fiat, vel sine probro, nolim aliundè astimari, nisi ex publicâ famâ, & dictiis, quæ vulgo in hasce præcœces nuptias jactari solent. Arn. de Jure Connub. c. 5. sect. 3. 4. 5. & 6.

#### QVÆST. VI.

*Utrum Parentes magis ament liberos, quam  
liberi parentes?*

Non dubitamus id afferere, 1. quia liberi sunt quasi partes Parentum. 2. in ipsis vivunt. 3. sunt tanquam signa & testimonia virtutis procreatrixis Parentum. 4. quemadmodum artifices chariūs habent opus suum, quam ab opere chariūs habeantur, si animatum fieret: Ita Parentes, qui instar artificum sunt, liberos suos, effecti vices obtinentes, magis ament, quam redamantur. 5. quia benefactorum amor major esse solet in benefits affectos, quam contra. 6. quia in liberis vivit memoria Parentum. Confer Arn. l. i. d. Republ. c. 4, sect. 2. Magir. Comment. in Aristot. Eth. l. 8. cap. 12.

#### QVÆST. VII.

*An matris amor major sit, quam  
patris?*

Matris amor rectè præfertur paterno 1. quia majori labore mater liberos acquirit. 2. majorem quam pater cer-

C 3 titu

titudinem habet, quod eorum sit mater. 3. frequentius cum iis conversatur, undè major amor exoritur. Nec obstat, quod paternus amor passim summus dicatur. Ita enim amorem patris & matris distinguere solent, quod illius constantior, hujus verò ferventior existat. Junge Timpler. Oecon. I. 2. c. 4. quæst. 3.

### QVÆST. VIII.

*Vtrum Parentes adhuc in liberos jus vitæ & necis habeant, & num jure iis detrimentum sit?*

Non tantum de hâc quæstione JCti & Politici, sed & Oeconomici disceptant, quatenus tractatio potestatis patris familiâs in personas domesticas, quales etiam sunt liberi, ad Oeconomicam spectat. Oeconomicè igitur hanc quæstionem tractandam suscipimus, & negamus, Parentes hodiè Juris vitæ & necis in liberos gaudere, quod licet ex multis J.Civil.legibus probare possemus, ne tamen limites officii nostri transgrediamur meritò omittimus. Quod autem jure iis ademta sit hæc potestas, id patet 1. quia quinto præcepto divino, quo occidere prohibitur, repugnat. 2. quia hæc potestas est tyrannica, in qua consistere non debet. 3. quia privatæ personæ jus occidendi absque autoritate Magistratûs non est concessa. Arnis. I. 1. d. Republ. cap. 4. sect. 2.

### QVÆST. IX.

*An liberi Parentibus per omnia obedire debeant?*

Quod suprà de Magistratui, impiâ & injusta præcipi- enti, non obediendo statuimus, id rectè huc referri potest. Distinguendum est tamen inter malum, quod præcipitur, verum: & apparenter tale. De priori, non posteriori hîc lo- quimur. Deinde inter denegationem obedientiæ vere- cundam, & lenem: & malitiosam, vel importunam. Illa li- beros decet; hæc dedecet. Arnis. I. 1. de Republ. cap. 4. sect. 5. Timpler. Oecon. I. 2. c. 4. quæst. 23. Magir. Comment. in Arist. Eth. I. 9. c. 2.

### QVÆST.

QVÆST. X.

*An patri familiâs omnium domesticarum rerum  
curam gerere conveniat?*

Affirmamus id rationibus apud Aristotelem l. i. Oeconom. c. 6. & Timpler. l. 2. Oecon. c. 4. quæst. 2. legendis, Patremfamilias rei suæ familiaris curam suscipere debere: Si non semper immediate, saltem mediate per alios, cum Matrefamilias, spectatæque fidei procuratore hoc onus dividendo. Notamus propterea, per hanc curam generalem illam inspectionem omnium rerum, quæ in domo fiunt, intelligi; non specialem, multò minus executionem, quæ patremfamiliâs omnino dedecet: cum quædam opera mulieribus, quædam servis competant. Quibus præmonitis, quæstioni huic, ut opinor, erit satis factum, &

Disputationi nostræ sic finis im-  
positus.

**SOLI DEO GLORIA!**

*Ad*

*Politissimum Dn. Respondentem,  
Amicum meum.*

**C**onscendit natu major mea pulpita fra-  
ter;

Hæc sequitur natu talia facta minor.

Ob natos tantos domus hæc cum matre tri-  
umphat;

Docto nil nato gratius esse potest.

*Michael Vendelerus.*

*D. & P. P.*

*Ad*



*Ad Eximum, Doctissimum  
Politissimum,  
DN. HEINRICUM BEINRADUM,  
Dresdens. Misnic.  
Ex Philosophia Practica Dispu-  
tantem.*

**S**ic BEINRADE Tuos nisus agnoscere sanos  
Nullus non poterit ! Sic benè res geritur !  
**PHILOSOPHIA** Tibi quantum sit **PRACTICA**  
cordi,  
Hic labor ingenuus, docta que lingua probat.  
Scilicet ut multis **JURISPRUDENTIA** rebus  
Indiget, alta petens, sic amat hoc studium.  
Quid quod nonnunquam rationes inde trahendæ,  
Quas non suppeditant jura subinde Tibi.  
**Porro VIRUM, CIVEMQUE BONUM, quem JURA**  
requirunt.

Hæc Ars efformat, PUBLICA RES acuit.  
Stes gravis iccirco, nisique immotus eodem.  
Tales quippe Viros PATRIA solicitat.

*Dieterich Coch.  
J. II. D.*

---

*Ad Per-Eximum atque Politissimum  
DN. RESPONDENTEM  
Fautorem ac Commensalem honorandum.*  
**H**Æcce Tuum nomen Tua Miscellanea Pindo,  
Beinrade, inscribunt ; docta Minerva probat.  
Sic hominum vivi semper volitare per ora  
Possimus : hoc verus tramite tendit honor.

**P R A E S E S.**

OK (‡) 80  
X

05 A 1154

ULB Halle

003 766 403

3





